



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statu In Quo Sint Beatorum Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicii diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Propositio XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Roma. 5.

haberi. Atqui fide sumus iusti. Rom. 5. Ex fide iustificati pacem habemus ad Deum, non ex charitate, uel conditione nostræ dignitatis. Friuola sunt, quæ Frater tam inconsulte, non salutato ore domini balbutit.

PROPOISTIO XXXI.

PRiuatiuæ particulæ in Paulo, ut gratis, non ex operibus &c. non opera fidei, non sacramenta, non auditum uerbi, sed meritorum fiduciam excludunt.

CENSURA.

Nullus terminus Agiographorum opinionem meritorum excludit, sed falsigraphorum.

CONDEM. CENSURAE.

Hieronymus

DE sola Dei erga nos misericordia præsumendum est, nam Paulus omnem suam iusticiam ex lege pro reiectamentis & rudere ducit, & credo Fratrem admittere Paulum fuisse agiographum. Hieronymus ad Rom. Nemo suo merito, sed omnes æqualiter iusticia Dei sunt saluati. Item contra Pelag. Monachorum patres: Tunc ergo iusti sumus, quādo peccatores nos esse fatemur. Et iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei consistit misericordia. Audis gratis, tace de meritis. Augustinus Hypog. 6. Particulæ ergo conditionem dignitatis nostræ, seu meritorum nostrorum excludunt, & transferunt beneficium redemptionis nostræ in Christum, sicq; a causa excludimus opera non ab effectu aut sequela, sed nos propria merita, præsumptionem seu fiduciam operum, & opinionem meritorum solis iustis

lustis, quibus satis est meritum Christi, excludimus, non
Monachis & hypocritis, qui non alieno sed proprio uolunt
saluari merito, quod est illud, de quo Augustinus in prolo- *Augustinus*
go Psalm. 31. Si quod debetur istis operibus Deus redderet,
utique damneret, non tibi Deus reddit debitam poenam, sed
donat indebitam gratiam.

PROPOSITIO XXXII.

OMnia opera infidelium & peccatorum sunt peccata.

CENSURA.

Vtinam calidus esses aut frigidus &c.

CONDEM. CENSURAE.

IN hac propositione Dialecticum agit Frater, & me uult
esse uel calidum uel frigidum. Proximo inquit male uelle
se, apud infidelem est peccatum, ergo bene uelle non est pec-
catum, hoc sequitur, ait, per consequentiam, in ipso termino-
rum inoppositis contradictorijs, quā nullus qui Logicam
uel a limine salutauit abnegabit. Hæc Frater, & alia nuga-
tur inepte. Non lusit operam in Logica meus Doctorculus
quam arbitram uult esse ueritatis. Sed cum secundum Aus-
gustinū Dialectica sit definiendi, diuidendi, argumentandi
scientia, auricula asini (ut ipsius uerbis utar) palam erit, quod
male diuidat inter opera fidelium, & infidelium: Male uelle
est peccatū, igitur bene uelle non est peccatū. Homo argu-
tus forte Hieronymum sequutus est, qui & ipse pari enthia-
smate utitur: Bonū est non tangere mulierem, igitur &c.
Sed duplices sunt peccatores, Qui nō credunt in Christum,